

27

Migrat Parisii pater ad patriam paradisi  
Mauritius, mundo Martha, Maria Deo.  
Sic obit a quinta ieiunus luce viator  
Esurit in vera carne videre Deum  
Offertur panis, quem clausis sensibus extra  
Spiritus inspirat corporis esse cibum  
Verbo mente manu panem calicemque repellit  
et sic celesti corripit ore dolum  
Illudere mihi velud hostes postulo passum  
Passum sub vera postulo carne deum  
Rem stupet auditor offert venerabilis abbas  
Quod petit occurrit mente manumque pater  
Sentit adesse Deum fervescit in oscula sanctum  
Vas tenetet verum corpus adorat ita  
Ecce salus mundi verbum patris hostia vera  
Viva caro deitas integra verus homo  
Te Deus esurio quod non sinis exteriorem  
Te Deus interior sumere possit homo  
Transeat ad dextram patris Christi caro cum quo  
Disponit patris regna redemptor homo  
Sic spes hic meruit rem presentire fidesque  
Scire videre Deum glorificandus homo  
Sic amor exarsit sic spes presensit ut una  
Crederet et sciret credita certa fides.